Czyrzyczkowicz Augustinus Andreas.

Łopuszyński Ioannis Alberti: Exuviae triumphales eruditae Palladis —

EXUVIÆ TRIUMPHALES

ERUDITÆ PALLADIS,

Perillustrem Clarissimum, & Admodum Reverendum Dominum,

D. M. AUGUSTINUM ANDREAM CZYRZYCZKOWIC

Sacræ Theologiæ Licentiatum, & Professorem, Collegam Majorem, Ecclesiarum Collegiatarum S. FLORIANI CANONICUM, Neo-Sandecensis CANCELLARIUM, Contubernij Staringeliani PROVISOREM

Pro eximiis virtutibus, & laboribus in Alma Universitate Cracoviensi exantlatis,

CONCERNENTES.

Eidemq;,

A

PERILLUSTRI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. MARTINO WINKLER

Sacræ Theologiæ Doctore, & Professore, Collegij Majoris Seniore PATRE, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Sandomiriensis PRÆPOSITO, Kielcensi SCHOLASTICO, CURATO Premycoviensi, S. R. M. Secretario.

In Peraugusta Divi Iagellonis Aula,

& in Amplissima Illustrium Hospitum, Ordinumq; Academiæ Corona,

ritu Solenni,

Sacræ Theologiæ DOCTORI renuntiato;

Per IOANNEM ALBERTUM ŁOPUSZYNSKI,

Artium Liberalium, & Philosophiæ Baccalaureum.

in vim profundi cultûs, & apprecationis,

OBLATÆ.

Anno 1698.

EXUVIÆ
TRIVMPHALES,
ERVDITÆ PALLADIS.

LIcet nemo Cyrrham fatiget,
tamen Sapientum oraculo verum est: Palladis Exuvias honorem esse.
Imbellem quidem illa gerit sexum sed virilem animum;
ut totus sibi non sufficiat orbis.
Vna namq; Sapientia mundi imperatrix est:
cui Augustæ ancillant Majestates.
Sapiens uno minor est Iove, dives, liber, honoratus, rex deniq; regum.
Sine ferro abundat auro:
sine metallis, & aureis glebis cumulat dignitates.
Nihil est,
Quod doctior non capiat Pallas;
Palàm omnibus omnem eripit palmam.
Certat sine mucrone, triumphat cum acumine.
Exuvijs onusta, & non spoliat.
Summos refert honores, quos nemini aufert.
Et quidni referat?
Cum etiam sponte
Ipsas lunatas mortalium cervices in arcus sibi erigat triumphales;
Et unico subnixa calamo, totam majestatum post se attrahat gravitatem.
Certè
non ita inter aureos fortunæ sinus, enutritus Thymotheus,
Explicatis in Vrbium capturam retibus,
pinguiori didicit potiri prædâ;
Quàm Amazon fortissima, Sapientia, triumphalibus gloriatur exuvijs.
Magnis ingenijs ubicunq; est statio, ibi theatrum & plausus.
Quid socia Sapientiæ virtus?
Nullis cum Datylo in dies satiatur honoribus.
Benè enim
Solem dixeris honorem, quem virtus aurora præcedit;
vel si mavis,
solem dixeris virtutem, cujus umbra est honor.
Patet evidens documentum in Te
Perillustris Clarissime, & Admodum Reverende Domine.
D. M. AVGVSTINE ANDREA
CZYRZYCZKOWIC,
Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor,

Cuius

Cujus Magno Nomine,
AVGVSTI ne honores, an Nomen Auguſtis ſit dignius honoribus?
Nequit æqua ingenij ſtatera ponderare.
Adhuc in primævo annorum tractu,
Doctorale eiuſmodi Ethymon,
Magnum Te deſignavit Doctorem;
ut abſente primo præſentem ſecundum Orbis conſpiceret
AVGVSTINVM.
Quidni deſignaverat?
qui cùm in aurora eſſes; jam evidentem virtutum monſtrâſti meridiem;
Lucere non aliter ſuetus; quam tot probitatum claritatem elicere.
Vnde non immeritò
tenerior ætas Te optimæ indolis oſtenderat Craſſum;
vel ipsâ ingenij ſubtilitate incraſſatum.
Toti documento Orbi:
Quòd non ſola Antiquitas maturos vitâ, & moribus produceret Catones;
etiam noſtra ſæcula,
in exilibus annis Auguſtos eximij animi generant AVGVSTINOS.
Ne in admirationem veniat;
Quod hodie Theologicus in Te miratur Honos:
quantâ Sapientiæ polleas magnitudine!
In Te adhuc puſillo,
nulla ſine gravitate animi levitas:
nulla metienda longanimitas videbatur.
Hoc meruiſti tenerior, quo raro donantur adulti.
Tanta, rerum capiebas expers, quæ viros fugiunt peritos.
Cum hærentibus in dubio, nunquam cohærebas.
imo ubi errare debueras, rectè procedere conſueviſti.
Quot Thurianos, tot ſocios;
ex omnibus ſervilijs, quemlibet habuiſti hoſtem:
Nam virtus laboris amica, hoſtis deſidiæ.
Verbo: horrendior Tibi non fuerat moles;
quàm ſi inter molles deliteſceres plumas.
Nihil difficilius quàm quieſcere.
Ad fugienda otia nemo Te ocyor;
ut laborantes in Tua encomia fatigares Oratores.
Verus inter glorioſiores Stadiodromos Athleta;
cum quibus agonalia in Minervali certâſti campo,
plurimorum gloriam agonizare feciſti.
Factus Philoſophiæ Baccalaureus,
præter Laureas gloriæ nil collegiſti;

ut abundatiùs, minimè ambitioso proveniret
in Doctoratu Philosophico;
unde Coronam sumeres præmiandus.
Itaq; Stagyrites alter stetisti DOCTOR.
Princeps dicereris, nisi Philosophantium Principe,
vel ipsâ injuriâ temporum posterior exstitisses.
Professor Nobilissimus,
nullis unquàm laboribus fessus;
imo Alcides integer,
tandem hodie suppositis humeris Academicum bajulaturus Polum;
& ipsum Sarmaticum Orbem ornaturus.
Scilicet: publicorum bonorum in privatis Gymnasijs studiosissimus;
ita rudiorem adhuc in Nobilibus ánimis expolijsti Minervam;
ut magna Patriæ redderes ornamenta.
Viderant hanc lynce pupillâ in Te Virtutis magnitudinem,
numerosæ Cracij Apollinis Cohortes;
sed non minùs stupere debuerunt;
quòd sub Te Magistro Dignissimo, nullus Magistro
esset indignus Discipulus;
Aut, qui sine observatione virtutis, regulas non addisceret.
Cum fictione, & sine fictione Homerus;
omnibus Tui peperisti invidiam:
ut in arcanis sui pectoris non in gemmeis arcis Tua retinerent verba.
Solutus eloquio Cyneas,
O quot liberos Sarmatiæ Proceres Tuo Nomini fecisti obligatos!
inter quos,
in Arena Gymnastica,
Gemmeam eruditionis, & doctrinæ jecisti sementem.
Diserti Mercurij vix ornatus talarijs exstitisti;
illico dignitariam induere meruisti togam.
Cùm in Logicis,
Quod alijs plerumq; contingens fuit, Tibi necessarium.
Propositio, immortalitas:
Divisio, per Orbem, gloriæ;
Discursus, Nominis elatio, debiti honoris illatio:
Demonstratio certissima Divini cultûs:
Nulla apud Te probabilis virtus; omnes evidenti patuêre documento.
Verùm Philosophicam magis condecoraturus Spartam,
Aristotelem præteferens, illius professus es Disciplinam.
Vbi,
cùm Nobilem instruxisses Indolem;

ut con-

ut consumpti minimè indoluit tempori, ita Te maximè doluit:
quoties vel loqui cessâsti, vel cessare debueras.
Reminiscitur Virtutis, & Sapientiæ Tuæ,
Inclyta REMISZOWSCIORUM Domus;
Cujus Gentilitias Ceras Tibi vel ideo agnoscis sinceras;
quod suæ Proli Nobilissimæ perennes Eruditionis, & gloriæ
impresseris characteres.
Fatentur Maxima Heliconij Parnassi Decora,
ex ipso Nomine
amantissimi Tui KOCHANOWSCII,
adhibitâ sibi, Tuæ Professionis ferulâ,
qualiter ampliore illorum gloriâ, Lechicam implevisti plagam!
Crediderim, non à feriendo, sed à ferendo gloriam. esse ferulam.
Et quia exemplo Regnantis tota studet militare turba;
Avidior Eruditionis DOCTOR, invidos Tuæ Sapientiæ fecisti studiosos:
Cum Tu celebres referres triumphos;
illi quoq; victrices apprehenderunt palmas.
Itaq; certâsti ampliùs gloriosior;
Tertiâ Honoris palmâ semper secundâ potiturus.
Minore Collegio;
ut Sapientum Virorum Maximus evaderes:
Quem,
Illustria Almæ Universitatis Numina,
Pietate gravem & meritis conspexerant Virum.
Nam tanta Tibi recti reverentia, quanta Nummæ fuit.
Nervas quiete, comitate Drusones,
Probitate Marcos, Mauricos viceras æquitate.
Ergo vitæ integer, scelerisq; purus,
Meritò Presbyterali cinctus extitisti stolâ;
Sanctorum Omnium Canonicus factus.
Quasi ab excelso honore, sublimiores gradus nonnisi consecuturus esses.
Artisticæ Facultatis dignissimus electus Præses,
Illustri honore, sufficiente doctrinâ,
& præesse. & prodesse omnibus studiosiùs contenderas:
Quodsi Maior commemoretur DOMUS;
ubiq; in sola comparatione,
subtilia hebescere fecisti ingenia.
Acuisti cæterùm ad stuporem illorum mentem;
Qui Tuæ incubuêre Disciplinæ.
Vidimus certè totam Physicam Tibi Naturalem fuisse;
Universalem Scientiam Metaphysicam, Te singulariter penetrasse.
B Quid-

Quidquid Philosophica exponit Pallas trutinandum;
totum in alto Iudicio fundatum posuisti.
Cumq; latere virtus, quamuis volet non potest:
Nihil potuisti facere quod lateret.
Scilicet: ipsorum apparentium ignarus elenchorum,
nihil habuisti apparens, licet omnia Tua merita meridiano clariùs
apparerent Phæbo.

Quid mirum?

Æternam contemplaturus Veritatem, respuisti fallacias.

Itaq; Sacræ Theologiæ Professor exstitisti.

ne quid non sanctum in mentem admitteres;
præter Triumphales Exuvias;
quas in area sacrata Palladi meruisti.
Nempe: gloriosissimus in IAGELLONICO Campo Papyrius,
numerosas Encomiorum excedens paginas,
superato ingenii acumine, orbe; penetratis Cælis;
nihil celatum Tibi voluisti habere:
Supremum avidiùs scrutaturus Deum.
Non possunt hîc,
ad Tuæ gloræ non destinari metam,
stupenda Tua de Prædestinatione Oracula:
illæ sedulæ de Gratia Dei Lectiones;
quàm gratiosum Te universis fecerunt Auditoribus!
ut charus semper suo Orpheo, Thamiræ,
& Herculi Linus, nunquam existeret charior.

Sanè

Legendus toties uniuerso Orbi,
quoties perplexos Moralis Theologiæ Meandros explicâsti.
Licet rebus maximis, difficultatem natura posuerit;
Tibi, à tuta & recta Sapientiæ via deviare negavit.

Sed siste calame!

Satiùs imbellis, ac imbecillis,
venerare Victorem infractum;

Cui Theologica Laurus,

Æternum honorem Palladio peperit triumpho,

Doctorem iam agnosce Theologum;

nec præsumas evolare altiùs, quàm ad pedes.
Triumphales hîc immortalis gloriæ, Honorisq; Exuviæ;
adeo longis acquisitæ laboribus, ut longioris styli exposcant
D Ł V G O S I O S.
Ergo felicior in triumphum procede VICTOR.

Pro

Pro Veteranis, ad omnes nutus Tyronem:
Pro Candidatis candidi affectûs clientem:
imo nunquam Exauctoratum à Tuis mandatis existima:
dummodo longævus vivas, vincas secula.

MAGISTER DIGNISSIMVS,

Fortunatis Thymotheis magis ter beatior.

DOCTOR NOBILISSIMVS,

Scientiarum Decus, Gemma Eruditionis, Virtutum Nitor.

TRIVMPHATOR GLORIOSISSIMVS.

Gloriæ immortalis Meta, Orbis Academici Fulcrum:
illa superaturus fata;
quæ neq; Titides, nec Larissæus Achilles,
non longa domuêre secula, nec mille carinæ.

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici Perillustris & Reverendissimi Domini,

D.M. SEBASTIANI PISKORSKI,

I. V. DOCTORIS, & PROFESSORIS,

Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis & Collegiatæ Vielunensis CANONICI, SS. Omnium Crac: ARCHIDIACONI, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARII, & Generalis, ac Vigilantissimi

RECTORIS.